



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 17. Alphonso Arragonum Regi mortuo succedit Jacobus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

**Sæcul. XIII.** colæ Beryti protinus se dediderunt. De-  
**A.C. 1291.** nique Christiani Latini amiserunt, quidquid  
 in illa regione habebant reliquum. Eo-  
 rum, quibus fuga salutis fuit, major pars  
 insulam Cyprum petiit. Hic erat finis  
 bellorum pro comparanda vel recipienda  
 terræ sacræ possessione, quæ ducentos  
 fere annos duraverat.

*n. 232.*

§. XVII.

*Alphonso Arragonum Regi mortuo  
 succedit Jacobus.*

*Mariana  
 lib. 14. c. 14.*

*Indic. Arog.  
 p. 139. 140.*

Priusquam Papa hujus jacturæ nun-  
 cium acciperet, immo antequam ea  
 contingeret, inter Aulam Gallicam &  
 Arragoniam conflata erat pactio de Sici-  
 lia. Nam ineunte Februario duo Pa-  
 pæ Nuncii Gerardus ac Benedictus Ta-  
 rasconem venerant, ubi aderat Rex Si-  
 cilix Carolus cum Legatis Philippi  
 Pulchri & Alphonfi Regis Arragonum.  
 Pacti conditiones erant, ut Alphonfus  
 Romæ per Legatum præteritæ contuma-  
 ciæ veniam rogaret; ut Ecclesiæ Ro-  
 manæ tributum triginta unciarum auri,  
 a proavo suo promissum solveret; ut va-  
 lida cum classe terræ sacræ suppetias i-  
 ret; ut inde redux matrem Constantiam  
 & fratrem suum Jacobum ad abdican-  
 dam Siciliam adstringeret; ac severo e-  
 dicto cunctos Arragonios pedites equi-  
 tesque

tesque hinc egredi juberet; ut Carolus <sup>Sæcul.XIII.</sup>  
 Valeſius miſſum faceret juſ in Arrago- A.C.1291.  
 niam a Papa ſibi collatum; ut Papa Al-  
 phonſum in bonam reciperet gratiam,  
 Præſulemque mitteret, qui tolleret inter-  
 dictum in Arragoniam pronunciatum,  
 & obſides Alphonſo a Carolo datos re-  
 duceret. Hæc pactio confecta eſt incon-  
 ſultis Rege Jacobo & Siculis, qui hoc æ-  
 gerrime ferebant, ſed duo Reges Alphon-  
 ſus & Carolus illam habuere ratam Jun-  
 carix 7 Aprilis.

Alphonſus Arragonum Rex nuptias  
 cum Eleonora Eduardi Anglorum Regis  
 filia adornabat, cum mortem Barcinone  
 obiit 18 Junii anno ſalutis 1291, ætatis  
 ſuæ 27. Papa Nicolaus id edoctus ſcri- *Rayn. n. 53.*  
 pſit ad Jacobum fratrem demortui (quem  
 non Regem, ſed duntaxat filium Petri  
 quondam Arragonix Regis nuncupabat)  
 & illi præcepit, ut ſe ſubmitteret Eccle-  
 ſiæ, Siciliamque, & quidquid ad iſtam  
 pertinens poſſideret, omnino Regi Caro-  
 lo cederet. Præterea prohibebat, ne  
 pluribus cenſuris eccleſiaſticis devin-  
 ctus regnum quodcunque, nominatim Ar-  
 ragonium & ad id ſpectantia ullo mo-  
 do gubernanda ſibi ſumeret, alioqui  
 poenis ſacris & temporalibus, prout Sum-  
 mæ Sedis viſum fuerit, afficiendus. Da-  
 bat 1 Aug. Episcopis quoque, Abbati-  
 bus, & toti Arragonio Clero ſcribens gra-  
 viſſimis

Sæcul. XIII.  
A.C. 1291.

vissimis sub poenis vetuit, ne Jacobum agnoscerent Regem suum. Verum hæminæ ac inhibitiones effectu caruere. Nam ut primum Jacobus sui fratris Alphonsi obitum comperit, relicta Sicilia, cujus regimen alteri fratri suo Fridrico commiserat, in littus Barcinonium exscendit, ac Cæsaraugustam delatus ibi solenniter se coronandum Arragoniæ Regem curavit 24 Sept. 1291.

§. XVIII.

*Papæ conatus pro bello sacro.*

*Bullar. Nic.  
IV. Const. 5.  
Canif. to. 1.  
p. 344.*

Papa Nicolaus acceptis tristibus Nunciis captæ Ptolemaidis, & amissæ Palæstinæ totius, pro viribus conabatur excitare Christianos Principes ad ejus recuperandæ studium, ac expeditionem sacram post biennium exequendam corroborare. Primo Augusti edidit diploma universos ad Christianos scriptum, ubi ille, qui ei a secretis erat, omnes adhibet figuras, omnes locos communes putidæ temporis illius rhetoricæ exhaurit, ut hanc jacturam ad ciendos animorum motus apte describat, & Christiani eam compensent ductu Regis Angliæ Eduardi cum militibus sacris classem conscensuri festo S. Joannis die anno 1293. Diploma reliquum promittit plenissimam noxarum veniam, cæterasque omnes gratias